

1. De Assentationibus Utorum. P. A. Leyser. R. A. F. de Drandorf.
2. De Juris Romani et Germanici Differentiis. P. J. P. Ludwig.  
R. F. Lognich.
3. De pignore conventionali facit v. I. N. Hertig. R. F. Antonig.
4. De Injuriis. P. J. Mehlbaum. R. J. Parthesig. de Meuttern.
5. De Jure retractus. P. J. V. Beckman. R. C. Leyssel.
6. De actionibus feudis nomine competentibus. P. J. P. Schreyer.  
R. C. Schreyer.
7. Jurisprud. Justinianeae Sol resplendescens. Autore.  
H. P. Haberkornio.
8. De Exceptionibus in genere et summation potissimum  
vero de variis dilatatoriis et peremptoriis speciebus.  
P. J. Lotichig. R. F. V. Wiesel.
9. De Pignorationibus. P. C. Mantig.
10. De Renovatione investiturae feudalis. P. C. Criegler.  
R. J. A. Schreckenbach.
11. De eo, qui e sine domicilio accas. L. 27. D. 2. ad municip.  
P. C. Thomafius. R. J. C. Schreyer.
12. De Arbitro compromissario et Judiciis Austriacis. P.  
J. Negerg. R. J. F. a Luttitz.
13. De Fideicommissis familiae. P. J. Rinckig. R. Chaffarben  
von Edinburg.
14. Juris controversi Theoretico practici Decas. P. Lud. Menckenig.  
R. J. G. Mencke.
15. De jure possessionis. P. A. Ricig. R. J. Waelhof.
16. De Codicillis. P. J. Seisler. R. F. V. Schreyer.
17. De restitutione alieni injuste ablati. P. J. W. Martini.  
R. H. Privat.
18. De Legitimatione. P. F. Seisler. R. J. von Dale. (et in Tom. 12. D. 274)
19. De Incediorum Jure. P. M. Z. Cramer. R. H. ab Horn.
20. De actione in factum pro refinenda possessione praesentia  
nea competente. P. J. Bornig. R. F. Beckerg.

21. De Thesauris. P. J. J. Simon. R. P. de Ramel.
22. De Successionibus legitimis earumque jure. P. H. Coselig.  
R. J. Leickher.
23. De Creditorum Creditoris, et Debitoris Debitori.  
P. H. B. Wolf. R. P. von Briff.
24. De Privilegiis ordinis. P. J. V. Beckmann. R. V. Wachsmuth.
25. De Actione Confessoria. P. F. Geisler. R. W. Engelmann.
26. De Exceptione Legitimationis personarum in iudicio  
comparentium. P. J. J. Simon. R. L. a Ramshausen.
27. De Collatione Sucedentium. P. J. Bryck. R. J. Luthers.
28. Periculum legale de Dolo Syndico per H. W. a L.
29. De Collatione Bonorum. P. J. C. Walther.
30. De Retinentia. P. H. B. Wolf. R. C. F. Lynfer.
31. Relutiones. P. H. Lincke. R. J. Hampe.
32. De Mandato speciali et actibus, qui sine eo a procu-  
ratore in iudicio peragi nequeunt. P. M. H. Gribner,  
R. J. F. Schlegel.
33. De errore non nocivo. P. J. E. Weise.
34. De Jure liberorum in scio vel non consentiente  
Patre legitimatorum. P. J. Schweder, R. J. G. Schweder.
35. De Transactione ob enormem laesionem non re-  
scindenda. P. C. Wildvogel. R. J. A. Stock.
36. De reservatione Hypothecae a venditore facta in  
securitatem pretii residui. P. C. O. Nylig, R. W. Mollwitz,  
Mollwitzig.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.

0.0  
Laut melbd. Ja



~~#~~ 15.

15

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**JURE POSSESSIONIS.**

Quam  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
Autoritate & Consensu Magnifici, &  
Amplissimi Ictorum ordinis in illustri ac floren-  
tissima Academia Regiomontana

SUB PRÆSIDIO  
DN. ADAMI RICCI. J. V. D. Et  
Professoris Pandectarum Primarii, Præceptoris  
ac fautoris sui honorandi

*Publicæ disquisitioni submittit.*

JOHANNES Grashoff Quedlinburgensis  
Saxo Autor

*In Auditorio Majori ad diem. julii.*



REGIOMONTI,  
Prælo REVSNERIANO, 1650.



DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JURE POSSESSIONIS  
CUM  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
Auctoritate & Consensu Magnifici  
Academici Rectorum ordinis in illius Universitate  
sub Praesidio  
DNI ADAMI RICHII J. V. D. P.  
Prothomaei Rectoris Primarii  
in honore  
D. Rectoris Magnifici  
JOHANNIS GREGORII  
in honore  
Magnifici Rectoris  
MAGNIFICI Rectoris  
MAGNIFICI Rectoris



# Bono cum DEO

## THESIS I.



Um summa Reipub. Conser-  
vatio in unicuiq; sui attributione  
cōsistat, felixq; dicatur possessor, no-  
bis quædam de jure possessionis in  
publicum proferre placuit, quo scia-  
mus, quo jure; quave injuria res à  
nobis possideantur. Et potest hæc  
nostra dissertatio ad tria *potissimum* capita referri.  
Primo, quomodo possessio acquiratur. Secundo, quo-  
modo retineatur. Tertio, quomodo amittatur. Sed  
antequam ad horum capitum explicationem descenda-  
mus, prius videndum erit, quid possessio sit, Quotuplex  
sit, unde dicatur, & quotupliciter vocabulum possessionis  
sumatur.

### II

Sumitur autem vocabulum possessionis dupliciter.  
Primò pro ipsa rerum proprietate *L. interdum. 78. de. V. S.*  
uti qui possessiones suas legavit non tantum jus insisten-  
di rebus legatis, commodumq; possessionis legavit, sed u-  
nà etiam rerum proprietatem. *L. 17. de serv. præd. Rusti. l. 2. C. de probat.* Secundò pro solo usu sine proprie-  
tate. *l. 12. §. 1. ff. de acqui. & amitt. possess.* Vbi secernitur  
proprietas à possessione, hoc est, usu, & quod est ager re-  
spectu proprietarii, id possessio dicitur respectu possiden-  
tis, seu usufructuarii ad quem proprietatis non pertinet.

### III

Possessio dicitur uti Grammatici, Alciatus, *disp. 1. &*  
alii

alii volunt, à pos & sedere, id est. posse sedere. In quibus est allusio vocis. Deinde à pedibus quasi pedum positione, quam etymologiam vetustissimo Hæbreorum juri convenire dicunt. *cap. 11. Deut. vers. 24. & cap. 14. Josua.* Ubi dicitur: Quicquid calcaverit pes tuus, tuum erit. Quod huc accommodant Alciatus. *l. 1. n. 2. & P. Greg. Cap. 13. n. 8.* Sed hinc notanda promptitudo successus & victoriæ obtinendæ adversus Chananæos quam Deus Israelitis pollicetur, ad terrorem hostium non ad naturam possessionis.

#### IV.

Nobis vero placet possessionis originem ordiri à sessione, hoc est sedium positione *l. 1. ff. h. t.* unde sedes habere, pro possidere *l. 203. de. V. S.* quia principio cum omnia essent communia, & indivisa nemoq; ulla in re jure quodam proprio quicquam animo sibi habendi tenebat, homines, postquam necessitate exigente, à communione discessum, sedes suas animo habendi obtinendiq; posuerunt. Et ab hac sedium positione dicta est possessio.

#### V

De possessionis definitione, quia in jure est omissa, magna est inter Dd. discrepantia; Nos autem dicimus, possessionem esse just tenendi rem cum affectione habendi. Hic loco generis posuimus jus. *Ita n. vocatur. l. 5. inf. C. de liber. causa l. 44. princ. h. t. l. 2. §. 38. Nequid in loco pub.* Idq; intelligitur primò de justâ possessione; Secundò pro actione ad aliquid. Ita qui possessione injustè dejectus est, adhuc jus possidendi animo retinet.

#### VI.

Verbum tenendi pro varietate rerum variè accipitur. *l. de rebus mobilibus usurpatur. quod fit cum rem mobilem*



lem complectimur l. 47. h. t. 2. de immobilibus si illis  
insistimus. 3. de incorporalibus, si actu utimur.

VII.

Ex quo intelligi potest, quod rei vox in definitione  
hac tam de corporali, quàm incorporali re sumatur, & u-  
tramq; pro possessionis objecto habeamus. *Uti vid. l. 3. si  
usus. petat. l. 9. ff. de hereditatis petitione. l. 2. com. prad. l.  
10. ff. de liberali. causa. l. 4. uti possidetis. l. 7. de itinere a-  
ctus privato. l. 2. §. 3. de precar.* Quamquam enim rerum  
incorporalium saltem quasi dicatur esse possessio; l. 23. §. 2.  
*Ex quib. caus. maj. l. 3. §. 17. de vi & vi armat.* verbum ta-  
men quasi, non planè impropriè, sed tantum aliquã  
inæqualitatem importat.

VIII.

Ultima definitionis verba sunt cum affectione sibi ha-  
bendi; l. 1. §. 3. p. 20. h. t. l. 3. §. 3. l. 46. h. t. l. 41. inf. ff. de re-  
bus cred. nec obstat quod etiam infans furiosus & ignorans  
possidere dicantur l. 32. inf. l. 44. i. §. h. t. l. 4. §. 3. l. 31. §. 3. de  
usurp. attamē non habeāt animum possidendi; quia in his  
personis utilitatis causa, jure singulari & speciali favore  
hoc receptum est. Deinde & si furiosus vel infans non ha-  
beat animum possidendi, tamen præsumitur, si per æta-  
tem vel furorem ipsis liceret, quod alium quàm possiden-  
di non haberent animum, quoniam unusquisq; id, quod  
sibi utile, velle videtur.

IX.

Huc pertinet quæstio, an possessio sit juris, an vero fa-  
cti? Schneidevvinus & alii distinguunt & dicunt, posses-  
sionem, dum acquiritur & est infieri, esse facti, dum produ-  
cta in esse & acquisita, juris. Sed illam distinctionem Va-  
conius à Vac. Decla. 32. falsè explosit, Nos hic nihil distin-

A 3

gue.

guemus, sed omni possessioni & jus & factum tribuemus  
*per. l. 49. §. 1. h. t.* juris est, quatenus autoritate juris utitur.  
Facti, quando in ea quædam occurrunt, quæ principaliter non à jure sed factò nostro dependent *l. 49. h. t. l. 19. Ex quib. Caus. majores.* Deinde possessio est juris cum juste; Facti, cum injustè & de factò est acquisita. Ita prædo non juste, sed injustè & de factò possidet.

X.

Est itaq; possessio duplex, civilis & naturalis *l. 10. C. h. t.* Civilis est jus, quo quis rem apprehensam animo sibi habendi possidet. *l. 13. §. 1. de publ. in rem actio. l. 22. §. 1. ff. de noxa. act. l. 21. C. de furtis.* Naturalis est jus rei corporaliter insistenti, vel per se, vel per instrumenta animata, aptum producere civiles effectus, respectu alicujus juris à dominio separati, & respectu naturalium accessionum; Ita possessio cum rerum corporalium tum incorporalium *l. 3. si usufruct. pet. Schneid. §. poss. n. 29.* communiter dicitur *l. 1. §. 9. ff. de vi & vi armat.* Sunt tamen qui plures divisiones constituunt.

XI.

Sed quia naturalis unà cum genere humano inventa, ideo prius de ea dicendum est. §. singulorum inst. de re-  
tum divisi: Et hæc iterum dividitur in duas species una est nuda rei corporalis apprehensio, *l. 1. prin. & §. 1. l. 3. §. 3. & 13. h. t.* sine qua possessio civilis acquiri non potest. Altera est rei apprehensæ usus natura introductus, quo quis utitur re corporea per se vel per instrumenta animata quo ad omnes & integros fructus, & sine ea possessio civilis acquiri potest. E. gr. in vasallo, usufructuario, Emphyteuta, precario possidenti, non autem commodatario creditore, qui pignus accepit *l. 15. §. 2. ff. qui satisfacere cog.*  
qui

qui tantum nudam rei detentionem habent *l. 8. Rei commod. ff. commod.* cum tamen contractus commodati fortior videatur precario.

XII.

Et hæc naturalis possessio qua usufructuarius, vasallus, &c. sine animo tamen veri, sive recti dominii *l. 13. § 22. de publ. in rem. act.* utuntur, potest etiam dici civilis, & quidem dupliciter. 1. Ratione juris civilis, quia lege civili hujusmodi possessio est approbata. *uti constat ex tit. de usuf. ex usibus fendorum. Si ager vectig. Emphyteut.* Omne enim quod à jure civili approbatum est, civile dicitur *l. jus civ. ff. de just. & jur.* 2. Ratione juris quod in illa re habet, is qui possidet. Ratio quia si decedit defūdo in animo retinet illig juris incorporalis quasi possessionem. *Jason. l. Natura. in princ. n. 17. ff. h. t.* Quæ hæc operatur, uti si usus. ab alio occupetur, non possit contra recedentem præscribere, ille vero, si habet à non domino illius juris à vero dominio separati præscriptionem complet.

XIII.

Hoc autem præcedit maximè in juribus in corporalibus quæ à re personæ debentur. in realibus vero, si res rei, prædium prædio servitutum debet, magis dubitatur: cum in præscriptione requiratur animus possidendi, & præscribendi: fundus autem non habeat talem animum. *l. via §. si fundus ff. de servit. Rust. præd. l. qui aliena. §. finali. ff. de neg. gestis. l. 2. in fine princ. ff. si servitus vindic.* At tamen constat servitutes reales præscribi. *l. 1. & 2. C. de servitut. & aqua. l. si quis diuturno ff. si servitus vindicetur.* Sed concludendum servitutes reales quasi civiliter possideri, & quidem interveniente ab initio animo domini quo mediante prædium dominans, alterius prædii servientis

entis quasi civilem possessionem, & per consequens præ-  
scriptionem acquirit.

XIV.

Visa naturali possessione transeamus ad civilem, quæ  
solo animo inhæret, & per phantasiam, rem absentem pri-  
us sensibus præceptam retinet. *Vac Vac. l. 2. decla. 30.  
dec.* Civilis quia in intellectu consistit, & considera-  
tur pro ut possessio est in homine ad differentiam posses-  
sionis Naturalis, quæ intelligitur prout homo est in pos-  
sessione. Et hanc possessionem civilem habet dominus  
feudi, proprietarius, concedens alteri usum fructum, *l. na-  
tural. ff. hoc tit. it.* Absens qui neminem in fundo reliquit,  
ut licet sit ab alio occupatus tamen maneat civilis posses-  
sio. *l. clam. §. qui ad nundi. h. t.*

XV.

Civilis possessio est apta producere civiles effectus, h.  
est usucap. & præf. quibus remediis possessio civilis sola  
est sufficiens ad acquirendum verum dominium rei pos-  
sessæ. *Dd. t. l. 1. ff. h. t. glos. & ibid. Dd. l. 510. §. si duobus.  
Sup. verb. Dominium ff. Commod. l. 3.* Ex contrario ita ut  
perficiatur quidem, non autem inchoetur præscriptio; at-  
tamen sola civilis est causa ad inchoandam præscriptio-  
nem. Possidens enim civiliter, si desinit animo possidere,  
statim naturaliter possidenti incipit currere præscriptio,  
quod præsumitur quando civiliter possidens neglexit na-  
turalem possessionem, per longum tempus occupatam  
recuperare, eo enim elapso præsumitur oblivio, & sic  
naturaliter possidens, incipit civiliter possidere atq; præ-  
scribere.

XVI.

His explicatis pergimus nunc rectà ad tria illa capita  
de

de quibus initio nostræ dissertationis diximus. Et primo agemus de acquisitione, quomodo possessio acquiratur. Nam antequam eam retineamus vel amittamus, necesse est prius acquisitam fuisse, quia omnis privatio præsupponit habitum. Est autem acquisitio actus, quo id quod nostrum non est, nostrum esse incipit. Vnde Consideranda veniunt tria. 1. personæ quæ acquirunt, & per quas possessio acquiratur. 2. Res, quarum possessio acquiri potest. 3. Quomodo possessio acquiratur.

XVII.

Quod personas, attinet constat non modo quemvis hominem sibi ipsi nisi vel naturâ vel lege prohibeatur, sed & per alium sive in potestate constitutum sive extraneum possessionem acquirere posse.

XVIII.

Natura prohibentur, qui intellectu carent, ut Furiosus, *l. 22. §. 7. ff. Solut. Matr.* licet enim corpore rem apprehendere possit, tamen ei deest voluntas & affectus acquirendi & possidendi, sine quo possessio, non acquiratur *l. 3. in prin. l. 1. §. 3. h. t. l. 47. ff. de acquirend. vel omit-tenda heredit.* & propterea neq; per se, neq; cum auctoritate tutoris possessionem acquirere potest, sed solus tutor nomine ejus acquirat *l. 5. de R. J.* Cum enim furor animum tollat atq; alienet, nihil est quod tutor supplere possit. Quo cum infans duorum vel trium annorum comparari potest. Secus in infante seu pupillo 7. annorum, *l. 18. de jure liberandi l. 14. de sponsal.* quamvis enim per se propter imbecillitatem intellectus possessionem acquirere nequit, tamen aliquem intellectum habere præsumitur, cum quo auctoritas tutoris concurrere potest. Nam judicium infantis suppletur auctoritate tutoris *l.*

32. §. 2. ff. l. 1. §. 3. h. t. §. 9. & 10. instit. de inutil. stipul.  
Excipiuntur autem hi casus ex quibus ignorantes acqui-  
runt, ex iisdem etiam infans & furiosus sine tutoris autori-  
tate acquirere possunt l. 1. §. 5. l. 32. infin. h. t. l. 28. ff. de u-  
surp. l. 16. de obl. & act.

XIX.

Lege prohibentur servus, filiusfamil, qui quidem a-  
nimum possidendi habent, suo tamen jure possessionem  
acquirere non possunt; sed saltem jure alterius, & qui-  
dem non nisi naturaliter. quia jure civili servus nullum  
habet caput, sed ipsemet possidetur, propterea aliud quid  
jure civili possidere non potest. l. 118. de R. l. l. 23. §. 1. h. t. l.  
54. §. 4. l. 10. ff. de acquirend. rerum dom. Quod etiam de fi-  
liofam. est dicendum ob patriam potestatem. instit. per  
quas pers. l. 1. §. 5. h. t.

XX.

Consideratis his quæ prohibentur, facile intelligemus,  
quæ personæ possessionem acquirere possunt. Et possunt  
omnes liberi homines non tantum per se, sed etiam per  
alios in patria vel dominica potestate constitutos posses-  
sionem acquirere si modo sint habiles, & intellectum, & a-  
nimum possidendi habeant. Per se, non concurrente cau-  
sa tanquam socia vel instrumentali vel ministeriali. Per ali-  
um concurrēte causa instrumentali; ut in filiofam; in po-  
testate patris existente, qui excepto castrensi peculio patri  
quoq; ignorati tam naturalē quàm civilem possessionem  
in rebus peculiaribus acquirunt. l. 1. §. 5. idq; propter con-  
sensum præcedentem in concessione peculii. Idem etiam  
locum habet in servo proprio: cum enim eum posside-  
mus, etiam illud, quod ipse acquirat, à nobis possidetur §.  
item vobis acquiratur. Inst. per quos person. cuiq; acquir.

Dein

## XXI.

Deinde nobis etiam possessio acquiritur per extraneas personas & liberas nostro juri non subjectas, ut per procuratorem. *l. 1. §. 20. l. 42. §. h. t. l. 8. C. cod. negotiorum gestorem §. ex his instit. per quas personas.* it. per tutores & curatores, quia dominorum loco sunt, etiam ignorantibus possessio acquiri potest. *l. 1. C. h. t. & d. §. ex his l. 3. C. h. t.* praesertim si haec personae nobis praestent ministerium, secus autem si suo nomine apprehendant possessionem tunc nobis nihil acquiritur. *l. 1. §. 20. h. t.* Licet tradentis animus adfuerit, ut domino acquireretur, procurator vero sibi voluit acquirere, tunc quidem, ne malitia procuratoris vel servi noceat ipsi domino *l. 4. 13. ff. de donationibus.* dominium domino acquiritur, possessio autem manet procuratori *l. 1. §. hac qua de servis ff. eodem.* Cessante enim animo cessat acquisitio, quia nunquam possessio sine animo acquiritur.

## XXII.

Sequuntur res quarum possessio nobis acquiri potest. Et dicendum est, quod res omnes huc spectent, sive sint mobiles, sive immobiles, sive semovetes, sive corporales, sive incorporales, sive privatae, sive communes; Remotis tamen his quae divini juris sunt: ut res sacrae, religiosae, sanctae, quae in bonis nostris esse non possunt. *inst. §. 7. de rerum divis.* Coeterum ut rerum acquisitionem nancisci possimus, requiritur, ut sint vacuae, ut neque corpore neque animo alterius possideantur, quia plures eandem rem naturaliter possidere non possunt: *l. 3. §. 5. h. t.* Deinde ut sint certa & in individuo monstrari possint, rerum enim incertarum nulla est possessio *l. 3. §. 2. l. 26. h. t. l. 32. §. 2. de usurp.*

B 2

Hactc-

## XXIII.

Hactenus de personis & rebus diximus, sequitur ut modum acquirendi inspiciamus. Acquiritur possessio animo & corpore conjunctim, corpore & animo nostro, & corpore alieno, vel animo & corpore alieno *l. 3. §. 12. l. 44. §. 1. h. t.* præcedente interdum titulo. Dicimus *interdum*, quia prædo possessionem acquirit, sed sine titulo cum nullam possessionis causam dicere possit, quæ ad justam possessionem requiritur. *l. 12. & 13. de hereditatis petit.* Oriuntur autem tituli vel ex pacto, ut ex donatione t. t. pro donato. vel ex ultima voluntate, ut pro legato. *l. 3. §. 21. t. t. pro hered.* vel ex contractu ut emptione. *l. 3. §. 21. t. t. pro Empto.* vel à prætore ex causa immisionis. Justè enim possidet, qui auctoritate prætoris possidet *l. 11. h. t.* imò tot sunt tituli possidendi quot sunt acquisitionum causæ.

## XXIV.

Modus acquirendi possessionem est. 1. Apprehensio, per eam enim totus actus acquisitionis complectitur, & fit animo & corpore conjunctim, ut supra, neq; per se animo neq; per se corpore acquiritur, *l. 8. h. t. l. 3. §. 1. & 3. h. t.* Non possumus enim acquirere possessionem sc. civilem, nisi antecedat naturalis possessio, tanquam medium quo apprehenditur possessio. Sicuti enim faber sine malleo & incude cultrum conficere non potest: ita nec possessio civilis sine corporali instrumento acquiri potest. Animo acquirimus, excluso omni corporis ministerio; corpore si utimur ministerio corporis; ut oculis; *l. 1. §. 21. h. t.* manibus, pedibus. Manibus mobilia apprehendimus, pedibus immobilia ingredimur, si nimirum partem fundi introimus, eo animo ut totum fundum ac-

qui-



quiram9, nec op9 est omnes glebas circumire. dum enim rem principalem plures res sub se continentem apprehendimus, veluti ædes vel castrum, intelligimur omnes res pertinentes apprehendisse.

XXV.

Et non tantum res corporales, sed etiam incorporales apprehenduntur. Corporales verè, incorporales fictè, utpote quæ tangi nequeunt. Apprehenduntur autè medi- atè vel immediatè; Mediatè quando rei quæ apprehendi- tur coherent. Eâ enim apprehensâ, etiam ejus jura rei cor- porali in hærentia apprehensa esse censentur: ut qui appre- hendit castrum habens jurisdictionem, is acquirit quasi possessionem totius jurisdictionis propter voluntatem concedentis *l. si stillicidii §. fin. ff. quemadmod. servit. amit.* immediatè quando per se non mediante cor- pore jus aliquod apprehenditur & acquiritur, ut si ser- vitus alicujus fundi nobis constituta est, tunc nudam servitutem sine corporali apprehensione acquirimus. *ar- gum. l. 3. de usus.*

XXVI.

Acquiruntur etiam jura incorporalia facto vel exer- citio alicujus juris, & requiruntur interdum plures actus, interdum unus tantum sufficit: ut in juribus negativis, ibi unus actus prohibitionis vel contradictionis, cui ac- quietum est, quasi possessionem istius juris acquirit. E: g: Nobilis habens in suo fundo molendium vicino etiam ædificaturo molendium interdicit & prohibet, ne ædifi- cet, hic dum acquiescit ejusmodi prohibitioni statim al- teri istius juris quasi possessio, ob solam vicini patientiam acquiritur. In affirmativis seu permissivis, quæ non so- lent facile concedi ratione amicitia, vel naturalis faculta-

tis, veluti aquam ducere per alterius fundum, exercere jurisdictionem, in talibus itidem unius actus citra alterius contradictionem exercitio inducitur quasi possessio. iis vero in quibus potest esse usus per modum amicitiae vel naturalis facultatis, vel quæ consistunt in actu meræ facultatis jure gentium concessæ; veluti ire per alterius fundum, interdum plures actus continuati in quasi possessione constituunt quod judicis arbitrio relinquendum. *Schneider*.

### XXVII.

Porro quid si illæ res incorporales plura diversa jura sub se contineant, an & hîc unum jus exercendo, animo universum acquirendi, etiam alterius quæsita est possessio? veluti exercendo jurisdictionis actum qui ad unam ejus speciem mixtum fortasse imperium pertinet, intelligiturne eo acquisita alterius speciei quasi possessio? Quod affirmamus si unius juris actus exerceatur, voluntate, universum jus quod habuit in exercentem volentis transferre, aut si amissum jus omnino sit vacans. *Tiraquel. Tr. de Retract. Gent. §. 36. n. 12.*

### XXVIII.

Præterea acquirimus possessionem per constitutum possessorium, quod est fictus tradendi modus, quo quis rem quam alteri v. g. vendidit, simpliciter ac nudis verbis ejus nomine possidere constituit, hacq; ipsa constitutione possessionem ad illum transfert. *Andre. Tiraquell. Tr. de jur. Conf. poss. p. 2. ampl. 11. n. 2. & 3. it. n. 5. 6. & 7. Anton. Faber. l. 7. cod. tit. 7. defin. 1. n. 2.* ubi ipse ait, constitutum esse fictitium transferendæ possessionis modum *Bach. in exerc. ad pand. post.*

At

## XXIX.

At hic modus est duplex, mixtus, & mere civilis. Mixtus quando concurrat aliquis actus naturalis, fictione juris interveniente, qua res ipsæ censentur traditæ, propter facilem apprehendendi facultatem 1. si instrumentum emptionis voluntate ejus qui vendidit traditur, id de quo in instrumento mentio facta, jurisfictione naturaliter apprehensum esse intelligitur. *per tex. l. 1. C. de donatio. 2. signi traditione ut si quis claves tradit §. 45. inst. h. t. adde tex. l. 1. §. si jufferim 21. inf. h. t. & tex. in l. 74. supra de contrah. emp. vel etiam si glebam terræ offert. vid. text. in c. 2. extra de consuet. 3. Visu vel demonstratione l. 18. §. si vendito rem l. 1. §. 21. vers. sed etiam h. t. vel custodis appositione l. 50. h. t.*

## XXX.

Merè civilis, si constituitur alteri nomine possidere, id est, si constituens dicit, se constitutarii nomine possidere, ut cum ab eo qui suo nomine possidet, constituit nomine alieno possidere. *l. 18. h. t. & hoc modo constituentis ministerium jurisfictione pro apprehensione est, ejusdemq; corpore quasi apprehendimus. Hoc quoque locū habet in retentione ususfructūs, ut quisquis rem aliquam donando ususfructum ejus retinuerit etiam si stipulatus non fuerit, eam continuè tradidisse credatur. l. 28. C. de donationibus, idem perficitur constitutione precarii l. 21. princ. & §. 3. aut conductione rei suæ l. 77 de rei vendic.*

## XXXI.

Acquisita possessione consequens erit, ut de ejus conservatione quædam adjiciamus, & sicuti animo & corpore possessio acquiritur, ita etiam animo & corpore conservatur, tam naturalis quam civilis, tam rei corporalis,  
quam

quàm incorporalis, Myns. respons. 25. Nam facilius est aliquid conservare, quàm acquirere. *l. 4. in prin. C. h. t.* & retinetur animo & corpore nostro. *l. 19. §. 1. h. t.* vel animo nostro & corpore alieno. *l. 32. prin. h. t. l. 31. §. 2. de usurpat.* vel animo & corpore alieno, ut servi filii. *in re peculiari l. 3. §. 12. h. t.*

XXXII.

Retinetur etiam possessio solo animo sine corporali insistencia *§. 5. instit. de interd. l. 3. §. 7. l. 25. §. 2. l. 46. l. 3. §. 11. l. 27. l. 30. §. 5. l. 44. in fine h. t.* & hoc maxime locum habet in civili possessione, quia illa animo inhæret, semper animo retinetur, nec propterea alter occupans rem per vim illam usucapere potest. Quia prior domino, quam diu non habet animum possessionem amittendi, & se præparat ad recuperandam illam, tam diu retinet animo possessionem, quantumvis vi dejectus sit. *l. Clam. §. qui ad vundinas. ff. h. t.*

XXXIII.

Animo quoq; retinetur, naturalis possessio *l. 3. §. unde vi ff. de vi & vi armata.* Vnde usufructuarius, qui tantum respectu domini naturaliter possidet, si discedat à fundo, & non admittatur rediens, datur ei interdictum unde vi. Ex quo sequitur usufructuarium in animo retinuisse possessionem naturalem alias in absentia non potuisset spoliari. *Schneid.* quæ tamen non intelligenda sunt de nuda corporali insistencia, quæ animo retineri non potest, sed de usu quem usufructuarius in illa re habet.

XXXIV.

Sed dicitur animo nos retinere possessionem. Quomodo igitur infans & furiosus, qui carent animo *l. 1. §. 3. l. 22. §. 2. h. t.* possessionem retinere poteruntur Respondeo quam-

quamvis per se acquirere non possunt, tamen acquisitam retinere valent *l. 31. §. 4. l. 44. §. 6. de usucap. l. 27. h. t.* Id enim facilius est & eis quoq; conceditur, de quibus dici non potest, quod habeant animum non possedendi.

### XXXV.

Non tantum autem per nosmetipsos possessionem retinemus sed etiam per alios tam animo quam corpore, sive sint in potestate *l. 3. §. 12. h. t.* sive non, modo nostro nomine sint in possessione; non enim possident sed detinent saltem, *l. 38. §. 7. 8. de v. obl. l. 6. §. 2. de precario. Menoch. recup. Rem. 1. no. 62.* is enim possidet cujus nomine possidetur. *l. 9. l. 31. si colonus l. 3. §. 12. h. t. L. si mulier. ff. quibus modis ususf. amittatur l. 40. §. 1. h. t.*

### XXXVI.

Effectus sive commoda possessionis sunt. I. Quod possessor onere probationis relevetur, *l. 14. & 20. Cod. de prob. it. l. 2. 16. eod.* illudq; rejiciatur in adversarium. *l. circa. ff. de probationib9.* nemo enim cogitur titulum suæ possessionis allegare. *l. 11. Cod. de pet. her. l. 7. Cod. de testibus l. 4. Cod. de Edendo.* præsumitur enim dominus vero titulo præambulo possidere, quoad liquido contrarium non probatur. *Vvesenb: parat. hic n. 7. Mascardus 3. de prob. concl. 1196.* quod etiam in quasi possessoriis locum habet. *Masc. d. l. concl. 1194.* & propterea possidentis conditio longe melior est quam petitoris, etiamsi res ejus non sit, nec illum jus habeat; nam si petitor non potest probare, rem ad se pertinere, retinebit eam possessor *§. 4. instit. de interdctis l. 6. si ususf. petatur. l. 2. uti possidetis.* 2. Ex possessione oritur usucapio per tempus lege definitum,

C

Quod

quod interdum sola possessione usucipientis absolvitur,  
interdum etiam continuatione successoris, diciturq; tem-  
porum conjunctio, §. 12. *if. inst. de usucap.* 3. Effectus  
est Dominium, quod una cum possessione consequi-  
mur *l. 1. §. 1. l. 20. in fin. de acquirend. rerum domin. l. 13.*  
*C. de distract. pignor.* Licet sint casus quibus Dominium  
ante possessionem accipimus, ut in rebus hæreditariis.  
Quam primum enim quis adiit hæreditatem, aut se pro  
hærede gerit, statim fit dominus. *l. 11. de liber. & posthum.*  
*l. 80. de leg. 2. l. 23. prin. h. t.* item dominium feudi trans-  
fertur in filium vel successorem adepta investitura sine  
possessionis traditione *uti dicitur 11. Feud. 88. 4.* Usus seu  
fructuum præceptio. Sed distinguendum est, inter bonæ.  
& malæ. possessore. Bonæ. possessor omnes fructus con-  
sumptos ante litis contestationem, *l. 4. §. 2. Fin. Reg.*  
hoc est, quam diu nescit nec scire potest fundum suum  
non esse *l. 48. de acquirendo rerum dom.* suos facit. ex-  
ceptis naturalibus quia ejusfacto non nascuntur. *l. fruct.*  
*ff. de usus.* Ut nec de æstimatione teneatur. *l. 40. inf. de*  
*acquirend. rerum dominio. §. 2. inst. de off. jud.* Interdum  
autem restituere tenetur, si locupletior est factus *l. 47. de*  
*leg. 2. l. 1. C. de petit. hered. l. 3. de Cond. indeb. Menoch. 15. Rem.*  
*de recuperanda possess. n. 598.* Malæ. verò possessor nul-  
lo modo fructus suos facit. *l. 25. ff. de usuris. §. 35. inst. de*  
*rerum divis.* sed de omnibus perceptis & percipiendis  
tenetur. *l. 22. §. 2. de pignor. action. §. 36. inf. inst. de re-*  
*rum divis. §. 2. de officio judicis inst. l. 1. inf. C. de petit. hered.*  
Vide plura commoda seu effectus possessionis apud Frider.  
Mind. de materia possessionis.

Vlti.

## XXXVII.

Ultimo videndum est, quomodo possessio amittatur, & tenenda est regula: Nihil tam naturale esse quam unumquodq; eo modo dissolvi, quo colligatum est, omnesq; res, per quascunq; causas nascuntur, per easdem etiam dissolvi. Sic quia possessio animo & corpore acquiritur, ideo etiam contrario modo amittetur *l. 8. h. t.* non obstante *l. 3. §. 6. h. t.* ibi enim dicitur animo solo id est sola operatione animi, veluti instrumento amittendæ possessionis, ubi non excluditur amissio possessionis corporalis, nec requiritur opera & factum corporis, ut fundum egrediar, quia non possideo, sed tantum detineo; aliud enim est possidere aliud detinere, & in possessione existere. *l. 18. & 9. h. t.* Hinc furiosus, dormiens, ebrius, corpore quidem continent rem, sed tamen non possident. *l. 1. §. 3.* & qui animo amittit possessionem, is desinit quoq; possidere corpore; quia corpus sine animo possidere nequit, & animi omissio corporis quoq; amissionem secum per consequentiam trahit. Qui autem corpore amisit possessionem non statim animo desinit possidere, quia semper ablata facultate insistendi, animum possidendi gerit, & requiritur corpus & animus simul, si quis à corpore desinit possidere.

## XXXVIII.

Amittimus porro possessionem, vel ipsi, vel per alios, quorum sc: corpore possidemus. Ipsi, non nisi scientes *l. 46. h. t.* per alios, etiam ignorantes: veluti in mobilibus, cum furto, rapina res subtrahitur, vel occupata *l. 15. h. t.* non repetitur, & animo negligitur, tunc enim ejus possessio amittitur. Idem est, si comodatarius, depositarius, rem depositam sibi possidere non constituerit. *l. 3. §.*

18. l. 47. h. t. In immobilibus, non nisi alio ingresso, iisq; qui nostro nomine in possessione sunt, dejectis l. 44. §. 2. l. 46. de vi & vi armata. Quod si verò colonus aut servus fundo decedit animo deserendæ possessionis, illa non amittitur, quia malitia servi non nocet domino l. fin. C. h. t.

XXXIX.

Deniq; omnis possessio tam naturalis quam civilis, nobis invitis vel consentientibus, amittitur. Si nimirum non possumus, vel nolumus possidere. Non possumus, quando rei possessæ conditio vel facultas est mutata, ut si religiosa aut sacra facta fuerit, vel desierit esse in commercio hominum, vel in aliam speciem mutata sit. l. 30. §. 1. §. 4. h. t. vel mutata conditione possessoris, puta possessore in alterius potestatem redacto. l. 30. §. 3. h. t. ut, si servus factus l. 23. §. 1. l. 19. ex quibus causa maj. l. 34. §. ult. de acquirend. rerum domin. vel si quis ex secundo decreto mittitur in possessionem, tunc prior possessor amittit possessionem. l. 3. §. 1. h. t. vel detentione rerum amissarum, idq; vel cum, vel sine facto nostro, exempla vide in l. 25. princ. l. 3. §. 13. l. 21. §. 1. l. 13. in princ. h. t.

XL.

Immobiles, ut si res occupatur ab adversariis l. 3. §. 8. §. aut nos vi de jicimur l. 1. ff. de usucap. prohibemurq; ne servum ibi versantem habeamus l. 1. §. 45. de vi & vi armata. vel si metu perterriti ad fundum redire nolimus, quia nos repelli metuimus, vel etiam animo possidentes non admittimur ad fundum reversi l. 1. §. 24. de vi & vi arm. l. 12. l. 18. de vi & vi arm. Item, amittitur possessio maris aut fluminum inundatione l. 30. §. 3. h. t. & hoc modo interrumpitur usucapio, quia nec corpore & ani-  
mo



mo possidemus, nisi sit inundatio exigua, & pars terræ adhuc videri possit. 2. Si non diuturna, 3. Si possessor se accingat ad inundationem repellendam 4. Si voluntariâ sit operâ nostrâ adjuta ad irrigationem agrorum.

XLI.

Nobis consentientibus possessio amittitur, si animum desuper sive verbis sive factis declaremus. ut alienatione, donatione, &c. item cum alieno nomine nos possidere constituimus *l. i. 8. h. t.* aut ex causa retinemus, ex quâ res aliqua non possidetur, ut precarium *l. o. pr. pro Empto*

XLII.

Tandem non modo rerum corporalium, sed etiam incorporalium & jurium quasi possessio amittitur. veluti cum interit res corporalis, cui servitus inhæret, vel cum annuos census, redditus, servitia, aut alia jura debita negamus, eaq; imposterum præstare recusamus. vel etiam cum subditi domino amplius obedire recusant, tunc enim quasi possessione dominum spoliant. *Mascard. de prob. concl. 1329. n. 10. & seqq.* nedicamus, quod & usurpatione seu præscriptionis interruptione quasi possessio tollatur. Est enim in incorporalibus quasi possessio nihil aliud quam patientia adversarii *l. quoties de servit.* & quando quis ulterius pati nolit, statim quasi possessio interrumpitur, uti & non utendo per negligentiam possidentis tollitur.

Coro-

## Corollaria.

- 1 An duo in solidum uno eodemq; tempore eandem rem civiliter possidere possint Affir. Naturali Neg.
- 2 Pupillus potest retinere obligationem civilem, non vero possessionem.
- 3 An injuriam verbalem liceat alia injuria verbali repellere N.
- 4 An jurisdictio dividipotest. N.
- 5 An ædificia omnia sint prædia urbana N.
- 6 Vxor committens adulterium in secundo matrimonio, an etiam eo primum offendatur. Neg.
- 7 An mulieris petentis ad mortem condemnatum sibi in matrimonium collocari intercessio valeat. Affirmatur.
- 8 Fur de crimine Capitali condemnatus si rupto laqueo aut alio fortuito casu de patibulo cadat, an jure adhuc sit suspendendus. A.
- 9 Jus venandi utrum præscriptione acquiratur Affir.

Posses-

**P**ossessionum jura sedulo GRASHOFII

Themidi sacrata perpolivit dextera.

Difcat profanum vulgus hinc suas sibi,  
Queis æstuat, queis indies dstringitur,  
Res possidere jure sancto maximo.

Nam cura nostrum nulla major seculum  
Urget rapitque, quam tenendi industria.

Huic cura Ditis suggerit molimina  
Insana magna; dum deumprehendere,  
Clausumque cista possidere cogitat.

Hunc cura Martis incitat, negocia

Tentare dura, non timere ferreos

Ausus furentum, non timere plumbeos

Nimbos globorum: tota nam venalis est

His vita, prædæ cæca spes si affulserit.

Sed his perignes perque saxa immania,

Sævas per undas quaeritur possessio.

Sic quaeritur. Sed possidetur ægrius.

Crescit cupido, cum benigna protulit

Fortuna, quantum flagitat necessitas,

Crescit, sibi que indulget ausu fervido.

Spes ampliores, copiasque concipit

Immensus ardor, queis potest vicina

Par esse nulla; nulla sors hinc sufficit,

Et spes habenti major usque nascitur,

Explenda jure vel nefando crimine.

Quo


Quò Tu tenere debeas sortem modò,  
Quæ summa rerum sit simul possessio,  
Utrumque noster hîc docet GRASHOFIUS,  
His norma cuncta paginis perscribitur.  
Ast ingenî præclara virtus edocet,  
Quæ summa rerum, vera quæ possessio.  
Non illa, terræ cæca quæ per viscera  
Diffunditur, nitore vana splendidò;  
Injuriis hæc millibus fit subdita,  
Rubigo, latro, quicquid id sit, imperat:  
Sed cor politum mille Musis, cor piò  
Incoctum honestò, Fidii sacrarium,  
Quod foeda labes seculi non polluit.  
Hoc possidebit, cuncta si sint perdita,  
Cleanthis instar, aut Biantis naufragi.  
Ergo, Themis, Tuum Minervæ dotibus,  
Queis pollet, ast Meum fide, quam præstitit,  
Pectus, memento consecrare maximis  
Æternitatis Candidatum honoribus.

Eximio Dn. Autori-Respondenti,  
Convictori ac Amico suo integerrimo suavissimoq;  
hoc quaecunque L. Mq; apposuit

Paulus von Sprekelsen  
Slesvicens-Holsat.

••(o)••





00 A 6412

ULB Halle 3  
002 916 525




Sb.


R

V078  
V079









~~#10~~ 15. 15

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**JURE POSSESSIONIS.**

Quam  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
Autoritate & Consensu Magnifici, &  
Amplissimi Ictorum ordinis in illustri ac floren-  
tissima Academia Regiomontana

SUB PRÆSIDIO  
DN. ADAMI RICCI. J. V. D. Et  
Professoris Pandectarum Primarii, Præceptoris  
ac fautoris sui honorandi

*Publicæ disquisitioni submittit.*

JOHANNES Graßhoff Quedlinburgensis  
Saxo Autor

*In Auditorio Majori ad diem. julii.*



REGIOMONTI,  
Prælo REVSNERIANO, 1650.

